

DE  
MOSE  
JEHOVAM  
A TERGO VIDENTE  
DISSERTATIO

EXOD. XXXIII, 22. sqq. NUM. XII, 8. ROM. I. 20.  
ILLVSTRANS

---

VIRO  
PLVRIMVM REVERENDO ET CLARISSIMO  
IOANNI ANDREAE  
SIEPIO

ART. MAG. ET VERBI DIVINI MINISTRO  
APVD VBIGAVIENSES BENE MERITO  
COLLEGII EXEGETICO DISPVTA-  
TORII IVSSV ET NOMINE  
CONSECRATA

---

INTERPRETE  
CHRISTOPHORO GOTTHELF STEMLERO  
PHIL. MAG.

---

DRESDAE  
IMPRIM. IO. GVILIELMVS HARPETERVS.

*a. CMVI. 38.*

diss. A  
38



## DISSERTATIONIS CONSPECTVS.

Paragrab. I. Per **MOSIS** & **PAVLLI** desiderium videndi Deum ad præsentem Dissertationem sternitur via. §. II. Interpretum cogitata de  $\epsilon\iota\omicron\gamma\acute{o}\tau\omicron\iota\varsigma$  τὸ Θεῶ adducuntur. §. III. B. Seb. Schmidii sententia refellitur, simulque vera stabilitur. §. IIII. De variis quibus Deus sese revelavit modis in genere, & in specie de promissione Mosi facta, Exod. XXXIII. differitur. §. V. Verba Textus locum indicantia, illustrantur. §. VI. De rupe Sinaitica, ad quam se conferre debebat Moses, agitur. §. VII. Promissio divina de transitu gloriæ ejus, explicatur. §. VIII. Ut & intuitus gloriæ divinæ exponitur juxta litteram. §. IX. Variorum Patrum non minus quam Judæorum litteram deserentium interpretamenta adlegantur. §. X. **AVGVSTINI** Conatus ex instituto refellitur, & eventus hujus adpationis in tuto collocatur. §. XI. Hanc ob causam locus Num. XII, 8. in medium producitur & explicatur. §. XII. Lud. Georg. **TREVIRANI** sententiæ, nostram esse præferendam demonstratur. §. XIII. Explosis aliis sententiis, in mysterium rei inquiritur. §. XIII. Dogmata quædam ex hac materia eruuntur, & §. XV. in quem finem & cujus causâ hæc exercitatio scripta sit, concluditur.







§. I.



Siquid est, de quo per omnium seculorum seriem doctiores fuerunt solliciti, doctrina de Deo eiusque attributis, Theologis, non minus quam Philosophis, definitio eiusdem, maximopere fixit crucem. Præclare tamen sacrorum inter librorum scriptores præ reliquis dederunt operam duumviri, πολλῶν, si ita loqui fas est, ἀντάξιοι ἀλλῶν, & quorum vita, fama, rerumque divinarum notitia, ita erat conspicua, ut, si palma uni non reddatur dubia, pares certe fuisse, negare spero neminem. Ita enim alter eorum ignotam & inaccessam Dei essentiam perscrutari adlaborabat, ut cum naturæ humanæ viribus plane impotentem sese persentisceret, complicatis manibus deflexisque ad Numen genibus oraret: **הֲרַאנִי נֹא אֶת־כִּבְּנֶךָ** *Exod. XXXIII, 18.* Alter vero, spe omni abjecta, qua conscius fieri possit de accuratiori divinæ Majestatis conspectu, eundem inter ἀόρατα tandem referre sese videret coactum. Prior erat MOSES in V. alter vero in N. T. PAVLLVS Apostolus Tarsensis. Digna equidem essent amborum hæcce oracula, quæ paullo accuratius investigarentur, quum vero instituti ratio & chartæ angustia, illud iam jam prohibeat, Mosis illius Ægyptii verborum reddemus rationem, ita tamen, ut antequam ad eadem accedamus, Paulli oraculum ὡς ἐν παρόδῳ illustrare liceat, cum non tantum inter δυσνόητα huius viri Θεοπνεύστῃ referri, sed Mosis quoque verba multum exinde lucis accipere posse existimemus; neque tandem ab instituti nostri ratione alienum videbitur, cum in id sedulo incumbamus, ut data quavis vel colloquendi vel scribendi oc-



caſione S. S. oracula feliciter intelligere, intellectaque aliis communicare, pro ingenii noſtri modulo, operam navemus.

## § II.

Per ἀόρατα τῆ Θεῶ Rom. I. 20. quid intelligi debeat, non una eademque interpretum eſt ſententia. Taceo jam *Fauſti* SOCINI & Sociorum ejuſ minime fauſtam ſententiam, ἀόρατα, per Evangelii myſteria explicantium, (a) non minus, quam ORIGENIS a ſcopo nimis aberrantis explicationem, qui ἀόρατα de Angelis interpretatur, ſine orationis Apoſtoli proſus reclamante, (b) quem deinde ſecutus eſt OECUMENIVS Græcus N. T. Scholiaſtes dictus, per ea ἀγγέλως καὶ πᾶσαν ἐν ἐρανοῖς δύναμιν intelligens, a THEOPHYLACTO propterea correptus, qui tamen cum ipſe ſibi non recte conſtet, de his tandem differens, rectius deinde paullo concludit, quod inviſibile eſſentiæ divinæ, intelligi debeat; ἡ ἀόρατα αὐτῆ γέλει αὐτὸ τὸ ἀόρατον τῆς ἐπίας, & deinceps cum monuiſſet, eſſentiam Dei a nobis intelligi non poſſe, ita pergit & ἀόρατα explicat: πάντα τὰ περὶ τὴν ἐπίαν, ἀγαθότητα, σοφίαν, δύναμιν, θεϊότητα καὶ μεγαλειότητα. Tandem vero finem horum imponit: Ἄ εὐφθαλμοῖς μὴ αἰσθητοῖς ἀόρατά εἰσι, νῶδε καταληπτὰ διὰ τῆς ἐν τοῖς ποιήμασιν εὐταξίας. (c) Lubens præterea THEODORETI, (d) cogitata, qui hæc de creatione inprimis & providentia intellecta cupit, quæ tamen calculum non mereri videntur, cum ſcopi ratio id neceſſario poſtulet, ut de naturali Dei notitia ex natura acquirenda ea explicemus. Neque tum ex *Noſtratibus* tum *Reformatis* & *Pontificiis*, qui ab hac interpretatione longe diſcedat, vix inveni unum, in eo tantum diſcedentes: ut vocabuli latitudinem non recte videantur conſtituere, ſiquidem hæc ἀόρατα ad ſequentia tantum ἀίδιον δύναμιν & θεϊότητα trahere conantur, eaque explicantia priorum eſſe dicunt, ita ut plura Dei attributa vel ab Apoſtolo non intelligantur, vel ea in his duobus ab ipſo includantur ex iisque fluere viderentur. Qua in ſententia inprimis occupantur BALDVINVS, Mich. RAGERVS, CALOVIVS, Theod. BEZA, Jo. PISCATOR, Chriſtoph. WITTICHIVS, in Commentariis in h. l. Rectius tamen

(a) vid. SOCINI *Prælect. Theol.* cap II. p. 538. OSTORODVS *Inſtit. German.* Cap. I. quos iam confutarunt JO. PEARSONIVS in *Exp ſit Symbol. Apoſtol.* Art. I. p. 31. & Herm. WITSIVS in *explicat. eiꝰd Symboli* p. 54.  
 (b) Comment. in h. l. Tom. I. f. 368. (c) THEOPHYLACT. in h. l. f. 231.  
 (d) THEODORETVS in h. l. p. 18. Edit. Paris. 1662.



tamen paullo alii hæc ἀόρατα in genere de perfectionibus Dei invisibilibus ex natura conspicuis interpretantur, quæ vero sequuntur, primario ab Apostolo dicta cupiunt, quem in finem B. OSIANDER, (e) Jac. WELLERVS, WILLETVS, (f) Corn. a LAPIDE, Guil. ESTIVS & Jo. Fr. BVDDEVS (g) latius mentem exprefferunt, quorum postremus tamen a ceteris in eo defleçtit, quod voce θεῖον, reliqua junctim omnia comprehendi existimet. Ab omnibus tandem his recedit, felicissimus S. S. Interpres Seb. SCHMIDIVS, atque pro ingenii sui acumine peculiarem sententiam fovet, qua invisibilem Dei naturam & essentiam, quatenus corporibus opponitur, intelligit, hancque ob causam in plurali numero Apostolum loqui opinatur, ut demonstret: *Omnia in Deo esse invisibilia & spiritualia, b. e. unum simplicissimum spiritum; nec plura pluralem inferre invisibilia, sed omnia & totum essentia.* (h)

## §. III.

Tantum vero abest, ut h. SCHMIDIO subscribere queamus, ut potius his inducti rationibus, ab illo discedere cogamur. *Primo enim numerus pluralis, ut vocant, non unum sed plura designare solet attributa; Deinde ad invisibilia, generaliori nimirum sensu accepta, essentia etiam pertinet vel maxime spiritualitas, quamvis non negemus, longe plura ex naturæ lumine cognosci posse attributa. Eadem vero ratio suadet quo minus priorem sententiam amplecti possimus, quandoquidem multo plura naturæ beneficio, ac æternitas, potentia & divinitas, & quæ ex his fluunt, perspicui possunt, omnia autem de Deo scitu necessaria minime sequuntur. Alia itaque heic via incedendum esse putamus, atque ea, quæ sub ἀόρατων nomine ab Apostolo comprehenduntur, ad omnes in Deo perfectiones existimamus. Duobus autem absolvuntur hæc momenti, nimirum Dei existentia, ejusque, nostro quidem concipiendi modo, essentia constituentibus proprietatibus, seu attributis. Quemadmodum vero æque ac attributa*

A 3

(e) de *Lumine Nat* Exercit. III. Thes 33 p. 175.

(f) vid *Poli Synopf. Critic.* Vol. V. p. 20.

(g) in *Instit. Theol. Dogmat.* Lib. II. c. I. §. 6.

(h) in *Comment.* in h. l. p. 25. Confer & Steph. de BRAIS in *Analyfi Ep. ad Rom.* p. 16. ita differens; Quæ sunt in se ipsis invisibilia, in effectis tamen suis facile conspiciuntur.



buta oculorum sensu usurpari a nobis nequeunt, ut potius ex solo effectu colligenda sint; ita sapienter de Numine, ipsius instinctu scripsit JESAIAS vates: *Vere tu Deus abscondens te, Deus Israel Salvator es.* Cap. XLV, 15. Cum vero de existentia Dei nullum prorsus hac ratione sit dubium, de attributis quoque conjunctim spectatis, nullus relinquitur scrupulus, siquidem ea ab existentia sunt invisibilia & ex effectu tantummodo colligenda. In antecedentibus v. Apostolus hanc moverat quaestionem: an nimirum gentes, specialiori per sacras paginas facta revelatione carentes, divinas perfectiones cognoscere potuerint, nec ne? Quæ omnino illi erat adfirmanda, quia illis ob notitiæ hujus, & juxta eandem vitæ rationis initæ neglectum tribuerat ἀναπολόγησιν, quam nullo modo iis adscribere potuisset, nisi hæc omnia perspexisse censendæ sint. Neque tamen hoc dicere cupit per ἀόρατα Apostolus, ac si omnia, quæ in Deo sint, attributa, ab homine naturali, consummataque ratione, qua ad salutem consequendam sunt necessaria, cognosci queant, ita enim revelatione tam specialia non plane foret opus, & quæ hunc in finem hominibus est tradita, ut ex eadem supplerent illa, quæ Theologia naturalis denegavit. Sufficit interim, Deum ita sese hominibus patefecisse per naturam, quantum illud manuductionis instar ad voluntatis suæ paullo plenioris revelationem, tum ad politicarum ipsarum societatum conservationem fuit necesse: ne illæ per ἀθεότητα penitus everterentur; tum ad ἀναπολόγησιν tandem, si ista cognitione eo, quo decet, modo uti, eique conformare vitam negligerent.

## §. III.

Quæ cum ita sint, & Numen juxta visibilem aliquam speciem prorsus sit ἀόρατον, perfectiones autem in eo tantæ sint, quantæ ab omnibus mortalibus, quotquot vixere, nullo unquam tempore potuerint satis intelligi; mirum videri debet nemini, Mosén incredibili eo adductum fuisse admiratione, ut illustrissimam maximeque splendescentem Dei faciem κατ' πρόσωπον videre & admirari, Judæ v. 24. expeteret. Poterat equidem moveri dubium hac de re, præsertim, cum oracula S. S. disertis adfirmant verbis, Deum sese revelasse gentibus: Ps. LXXVI, 2. 3. CXLVII, 19. 20. Act. XVII, 23. Rom. XVI, 25. Ephes. II, 12. Sed revelatio ipsa hæc obscurior erat, sive Doctrinam Prophetarum, sive symbola præsentia divinæ in populo Israelitico spectemus. Habebat equidem habitationem suam, quam



quam Judæi vocant שֹׁכֵן in tabernaculo, non minus, quam deinde in templo. Sed densa ibi nube tectus, caliginem inhabitare dicebatur Lev. XVI, 2. 1. Reg. VIII, 10. 11. 12. Manet itaque, manebitque nobis Deus absconditus, quamdiu nimirum in his mortalium commoramur sedibus, usque dum ad superos beatosque spiritus deveniemus. Fruamur interim ea felicitate, ut in hac miseriarum valle beati nuncupemur & gratiosam Dei præsentiam in cordibus fidelium pia mente, æque ac Moses in Dialogo cum Jehova in monte habito, admiremur & piis laudibus celebremus. Absconum enim foret, gloriosam Dei faciem ut videamus nobis expetere, cum Deus sese in verbo scripto πολυμερῶς ἢ πολυτρόπως manifestaverit, & in eodem illum quærere nos jusserit. Ipse enim Moses, intimioris accessus cum Deo, hanc ferebat repulsam v. 20. *Non poteris videre faciem meam, quia me non videbit homo & vivet.* Pro admiranda tamen, quæ in Deo erga homines est, συγκαταβάσει pollicebatur ille Mosis, se velle ἐν παρεόδῳ *Posteriora sua*, mortalium quippe oculorum infirmitati accommodatiora, ipsi præbere conspicienda, hinc v. 24. dicit: *& videbis posteriora mea, sed facies mea non videbitur.* Quemadmodum vero evidens hoc luculentissimumque divinæ voluntatis erat documentum, quod in hac vita, quoad gloriosissimum præsentiaæ suæ symbolum externum, absconditus manere voluerit a mortalium conspectu Deus, neque pati, ut a quovis hominum videatur unquam; ita his ipsis verbis confirmatur, quod §. II. iam monuimus, nostram de Deo eiusque essentia in hac mundi infirmitate valde esse imperfectam, quam tamen excellentiori longe illustriorique ratione olim in altera beatorum vita communicandam, divina nos jubent oracula expectare. Ad illustrationem vero verborum Dei ut propius accedamus, *tria* nobis necessario momenta obveniunt consideranda, quæ in commemorabili hac Mosis cum Jehova occurrunt Dialogo: Ita 1) de *Loci*, ad quem divino jussu se conferre debebat Moses, *indicatione*, v. 21. *Deinde* de repetita, quod transitura sit gloria Jehovæ integra coram Mose, & de obtegendo eo, ne excœcicaretur, *promissione*, v. 22. nobis erit sermo; *Tandem* de ultima posteriorum hujus visione, cum repetita conspectus faciei eius denegatione conjuncta pollicitatione v. 23. nostra instituetur oratio.

## §. V.

Prætermisiss itaque iis, quæ de וַיֹּאמֶר יְהוָה dici possint, ad ea potius respici debere arbitramur, quæ sequuntur, & Dei ipsius *Locum* Mosis in-

in-



indicantis sunt verba: **מקום אתי הנה**, VVLGAT: *Ecce locus apud me*. Adparentem itaque consideremus Deum in symbolo praesentiae, in eoque sensu *Locum* sibi tribuit; *ecce est locus אתי mecum*, qui non tantum ordinario Exod. III, 1. sed futurus quoque erat, Cap. XXXIII, 2. in montis cacumine Sinai, ex quo Legem promulgaverat, XIX, 20. in quo per XL. dies noctesque apud ipsum Moses fuerat commoratus XXXIII, 1. 9. 12. sqq. At non hunc tantum sed futurum etiam locum Mosi indicat: *Ecce locus & tibi scilicet MECUM est*, ex quo nimirum gloriam Dei videret a partibus posterioribus. Occasione horum verborum, Hebraeorum Magistri Deum *κατ' ἐξοχήν* vocarunt **מקום** *locum*, ut videre est MIDRASCH TILLIM ad Ps. XC, 1. (k) *Domine מעון locus vel habitaculum Tu factus es nobis*. Ita dixit R. HVNA: *quare adpellavit Deum sanctum benedictum מקום locum? quia ipse est locus, quia in omni loco, in quo stant iusti, invenitur ipse cum eis, sicuti dictum est Exod. XX, 24. Et sic ipse dicit: Gen. XXVIII, 11. ויבגע במקום & obvium habuit Locum, i. e. Deum*. Causam hanc esse existimem, quia Rabbinii את ut accusativi notam fortasse acceperint, & legerunt in Codice S. non אתי sed אתי. Quemadmodum vero auctoritate haec sua omnino carent; ita permittamus licet illis Deum adpellare *Locum*, quia in omni Loco praesens est, ut etiam fervator mundi ipse testatur: Matth. XXVIII, 20. XVIII, 20. Paulo tamen obscurior videtur ratio R. HVNAE, *quia ipse est Locus mundi, & perverse quoque accipi posse, si eadem vellemus abuti*. An vero B. de SPINOZA Atheismi labem ex hoc capite hauserit, ut nonnullis, veram Spinocismi originem dissimulantibus, visum fuit, valde dubito.

## §. VI.

Indicato nunc *Loco*, statim sequebatur *mandatum ad Mosen divinum*, ut eo se conferret, ibidemque consisteret. Ita vero verba: **על הצור ינצבת** LXX. *στήση ἐπὶ τῆς πέτρας, & stabis supra Petram*. Quibus verbis in Glossa adnotavit LYRA *in hebraeo habetur: super rupem*. TREM. & JVNIVS *Consistes igitur super istam rupem*. Mandatum divinum his in verbis latere, extra dubitationis aleam positum esse arbitror, ita ut futurum pro imperativo positum sit, aut, *stabis idem notet ac stare debes*, quemadmodum verba

(k) vid. Raymund. MARTINI *Pugio Fidei Part. III. Distinct. I. Cap. X. & Distinct. III. Cap. V. p.*



verba in sacris *actionem* aut *effectum* indicantia interdum, de *iure & debito* intelligenda & imperandi vim habere, vel sola Decalogi verba testantur: *non occides, non moechaberis* i. e. non debes occidere, moechari, & pluribus jam demonstratum est, a b. nostro GLASSIO. (l) Non autem ascendere tantum radices montis iubet Mosen Deus, sed ut ibidem quoque ad temporis quoddam spatium maneret, manifestum redditur Cap. XXXIII, 2. tamque diu ibi persistat, donec gloriae suae conspectum illi permetteret & adventaret. Hanc vero *rupem* cum Horebi illa, e qua Moses divino mandato aquam profluere iusserat, *Exod. XVII, 6. Ps. LXXVIII, 15. 16.* esse unam, non vanis iam pridem auguratus est argumentis AVGVSTINVS, (m) quamvis incertum illud pronunciet CORNELIVS *Lapidensis*. Nihil vero, quod huic macinopere advesetur coniecturae, video, multo magis adesse rationes ei patrocinantes arbitror. Etiam si enim rupes haec in cacumine montis *Sinai* posita dicatur, Cap. XXXIII, 2. notumque praeterea sit, nomina *Sinai & Horebi* strictius paullo sumantur, a se invicem esse diversa, distinctaque unius montis iuga & capita; non tamen raro eadem coniuncta legi certum & exploratum habemus, quodue in *Sinai* factum legitur, alibi in *Horebi* cacumine accidisse perhibetur. Ita v. g. Lex nunc in *Horebo* *Deut. III, 10. 15. IX, 8. sq. XVIII, 16.* nunc vero in *Sinai*, *Exod. XIX, 11. 18. 20. C. XXIV, 16. XXXI, 18. XXXIII, 24. Lev. VII, 38. Ps. LXVIII, 9.* promulgata dicitur. Neque *הַצֹּר* in *הַצֹּר* omni carere emphasi putamus, ut quippe rupem Mosei cognitam probe denotet, & gesta hac re illustriori, notabiliorem factam, aequae aquae promanatio ad radices *Horebi* iam facta fuerat commemorabilis.

## §. VII.

Præmonstrato loco, datoque Mosei iussu, ut eum occuparet ultimo, repetit Deus promissionem, quam ante dederat, de transitura nimirum gloriosa sui specie v. 22. *יהיה בעבר כברי* LXX. *ἡνίκα δ' αὖν παρέλθῃ ἡ δόξα μου.* VVLGATVS: *cumque transibit gloria mea.* Insignem Dei bonitatem v. 19. commemoratam, per *gloriam* heic commode explicari posse, eamque transituram promittere coram Mose Numen optimum, & hanc tandem corpoream quandam fuisse speciem fulgurantissimam, neminem temere negare existimo, propterea quod additur: *ושמתוך בנקרת העור* LXX. *καὶ θήσω σε εἰς ὀπήν τῆς πέτρας.* VVLG. ponam Te in foramine petrae. TREM. & JVNIVS: ut ponam te in cavitate ipsa rupis. Clarius sensum verborum

B

pin-

(l) GLASSIVS *Philolog. S. Lib III Tr. III. Can. VI. & XLIX.*(m) AVGVSTINVS in *Quaestion. in Exod. Qu. CLIII.*



perfpiciemus, si Jehovaham ita Mosen adlocutum fuisse diceremus: Adpropinquante gloria mea jamjam transitura, antequam in oculos tuos ullo modo possit incurrere, *ponam te*, scilicet permittendo, jubendo, vel etiam viribus concessis, ut te in fissuram seu cavitatem rupis conferas, & in caverna rupis protegaris. Habere rupes antra & cavernas suas, in vulgus notum est, & ex *Jes. XI. 21.* patet, & sic quoque rupes hæc Sinaitica, (quæ ut antea diximus, cum illa Horebi una eademque Virga Mosis disrupta *Exod. XVII, 6. Ps. LXXVIII, 15.*) habebat procul dubio cavernam quandam, Mofi in protectionem cessuram. Tunc promissio sequitur **ושכתי רבי עליך אכ** עברי, LXX. *Καὶ σκεπώσω τῆ χειρὶ μὲ ἐπὶ σέ, ἕως ὅν παρέλθω.* VVLG. Et protegam manu mea donec transeam. Ex quibus patet, quod positio manus Dei super aliquid, occultationem sui designet, subtractio vero manuum, revelationem. Alii tamen ex mentione *manus*, facta hoc loco, & faciei Dei etiam coniunctæ splendidissimæ hujus gloriæ *formam* fuisse *humanam* concluderunt. Sed alii & quidem rectius per **כף** Nubem heic intelligunt, propterea, quod hæc vox eodem in sensu occurrat, *Job. XXXVI, 32.* **אור כבים בטה אור** cum manibus, i. e. nubibus, *tegit lucem, & interdicit ipsi propter intercedentem.* Sic etiam *Thren. III, 41.* *Attollamus corda nostra ad Nubes אל כפים ad Deum in cælis. Juvat præterea hanc sententiam, *Jehovam descendisse, legi in Nube Exod. XXXIII, 5.* Quæ verba *Caldæus* ita transfert: *Tegam verbo meo super te*, quo fortasse per *verbum Dei* instrumentum divinitus productum, atque ad tegendum aptum intellexit. Paulo obscurius mentem suam explicat, CALVINUS, ita scribens: *Dei manus pro caligine accipitur, quæ obducta fuit, ne oculi Mosis longius, quam fas esset ad curiosum adspectum intenti forent.* Fundamento quidem ponit verba sequentia v. 20. *quia non videbit me, i. e. faciem seu anteriora gloriæ meæ, homo & vivet.* At sensus simplicissimus & verus talis erit: *Tegam te nube mea, & simul sic te protegam, ut habet VVLG. donec transivero, nempe in assumpta illa splendidissima figura, huiusque parte anteriori, quia hæc facies, seu pars anterior, ex vividissimo igne constans, exuberantibus fulgurantissimæ lucis partibus, foret tibi exitialis.**

## §. VIII.

Ex his liquet clarissime, visionem Jehovahæ illiusque Gloriæ hac in parte longe temperatiorem esse a dorso, quam ob causam clementissimum Numen Mofi eam quidem rursus promittit, *faciei vero conspectum prorsus denegat v. 23.* **והסרת את כתי וראית את אחרי ופני לא יראו** LXX. *Καὶ ἀφελῶ*



ἀφελῶ τὴν χεῖρα, καὶ τότε ᾗψει τὰ ἔπισω μὲ, τὸ δὲ πρόσωπόν μὲ ἔκ ὑχθίσσεώς σοι. Vulg. *Tollamque manum meam, & videbis posteriora meam faciem autem meam videri non poteris.* Proprie non videbitur. Quibus Deus verbis aperte declarat, Nubem, quam CHALDAEVS *verbum Gloriam* interpretatus est, mox post transitum *Faciei*, seu anterioribus corporis istius maxime Gloriosi partibus, esse *amovendam*, & ab antri ostio, in quo Moses consisteret, recessuram. *Corporalem* itaque *intuitum partium corporis Posteriorum*, (conf. Ezech. VIII, 16.) illi promittit, postquam corporale iam amovisset impedimentum, ad breve tempus ipsi concedendum. Illudque ipsum erat omnino, quod Mosi, ob eius infirmitatem, in hac mortalitate, divina clementia largiri poterat, quamobrem in fine illud repetit, *de facie sua non videntia*. Neque vero a Mose illud fieri potuit, neque a mortalium ullo, quia nimirum, vel ad momentum oculis oblata, hos non solum læderet, & tantum non excæcaret, verum etiam procul dubio hominem ipsum consumeret; hinc non male VVLGATVS, vim *Futuri*, addita negatione expressit: *Faciem autem meam videre non poteris.* Quibus omnibus rite pensitatis hoc tandem relinquatur: omnia heic apte satis & concinne explicari posse, si per *Gloriam Jehovæ*, corpus aliquod splendidissimum intelligamus, cuius visionem tantopere conspiciere cupiverit Moses; contraria vero ex parte commentum illorum ipsa horum inspectio verborum refutet, qui per illam Jehovæ Gloriam, *Essentiam Dei* intellexerunt. Neque illi sunt audiendi, qui absque necessitate urgente vlla, nisi ut ὑποθέσει inserviant, ad Metaphoras & Allegorias temere confugiunt. Quodsi enim æqua animi lance ponderare voluissent, Deum heic loqui de *Facie & Posterioribus* suis, respectu habito, ad adsumtam *figuram corpoream*, nihil profecto Deo indecorum, minusque conveniens invenisse persuasus sum; neque AVGVSTINI ductu, adversus litteram insurrexerint, ex *Loco* peculiari ac certo quodam Deo omnipræsentis, *penes quem est omnis locus*, scribere fuissent ausi: *ne forte surrepat perversus intellectus, aut hæreticus sensus & putet quis eum esse corporeum.* (n) Multo minus CALVINO subscribendum esse existimo, ita pro ingenii acumine & auctoritate sibi arroganti hoc de oraculo paullo liberius scribenti: *Puerilem quidem hanc videri descriptionem, (si nimirum litteræ inhæreamus) sed nostræ ruditati esse aptissimam.* (o)

B 2

§.IX.

(n) AVGVST. *Lib. III. Cap. III. de Symbolo ad CATECHVM.*

(o) in Comment. in h. l. T. I. f. 1095. conf. quæ de his acute satis disputat clariss. CANZIVS de Civitate Dei mox citandus.



## §. IX.

Quam periculosum vero sit, fluctuantisque ingenii indicium, litterali sensu neglecto, mysticum sectari, a Deo quippe solummodo intentum, & quam lubrica incertaque deinde reddatur mens divina, ut ex pluribus aliis, ita certe ex interpretamentis doctorum veterum in nostrum locum demonstrare minime erit difficile. Si enim TERTULLIANVM audiamus, satis audacter Prophetiam heic invenisse nobis persuadebit, de *Visione oculari Gloriæ humanitatis, in posterioribus temporibus revelandæ Mofi, iam fuisse impetratam per transfigurationem coram Mofi & Elia in monte, Matth. XVII, 2. 3. Luc. IX, 29. sqq. (p)* Quibus præterea circumducatur velamentis expositionem suam AVGVSTINVS, ut nusquam ipse sibi recte constet, iam observavimus, neque mentem eius alio indutam habitu rursus audire pigebit, ex quibus ut & reliquis, si nihil aliud, allegorizantis ingenii acumen, admirari tantum possumus. Ita enim *Mosen typum populi Judaici in Christum postea credituri, repræsentasse existimat, statuitque Prophetiam & per eandem promitti partim: Discipulorum ante transitum Christi ad Patrem per ascensionem in cælum protectionem, his in verbis: Tegam manu mea super te donec transeam; partim, Judæos antea incredulos post hunc Christi transitum in eum credituros, & tunc videbis Posteriora mea, nam facies mea non videbitur tibi, h. e. illi quorum typum geris, posterius in me credituri sunt; & tandem fidei electorum in Christo perseverantiam, Ecclesiæque durationem & defensionem perpetuam, & stabis (nempe in loco apud Deum, qui est Ecclesia,) super petram, (quæ Christus est ipsi, Petra Ho-rebi) statim ut transeat Gloria mea, & ponam te in caverna Petræ. Hanc deinde AVGVSTINI commentationem GREGORIUS M., iuxta ea, quæ de eo laudantur in *Glossa Ordinaria*, in summam redegit, quam tamen repetere labor esset frustraneus. Id tantum, ut alia taceamus, monendum ducimus: alium plane ordinem in executione adparere, quam fuerit servatus in promissione, & cui AVGVSTINVS per fictam ὑπερωσιν medicinam adferre conatus est. Audiamus eius verba c. l. *Postea quippe dixit scil. Deus, quod ordine temporis prius est. Qui ordo ita se habet: Tegam manu mea super Te, donec transeam, & tunc videbis posteriora mea, nam facies mea non videbitur tibi, & stabis supra petram statim ut transiet gloria mea, & ponam te in caverna petræ.* Adducamus tandem ex Patribus Nysseni illius patria, GRE-*

(P) vid. AVGVSTINVS in *Quæst. in Exodum* cit.



GREGORII sententiam, cuncta hæc *moraliter*, ut solet, explicantis. Respondisse nimirum Deum, fingit, Mosi, plura semper & maiora de se scire desideranti: *esse apud se locum*, tam latum & amplum, ut nunquam ad terminum eius cursu aut studio cognoscendi ullo etiam intensissimo, perveniri possit; hinc opus esse Mosi, perpetuo currere, & in scientiæ rerum divinarum studio indefinenter pergere; Ad huius vero *divini cursus modum* id requiri, ut *in petra* h. e. Christo per fidem fixam & immobilem statet, virtutisque Christianæ omnis studium indefessum sibi habeat commendatissimum: Et qui in stadio isthoc rite currat, illi *domum cælestem non manu nec arte factam reservari*, heic per *cavitatem & foramen petræ*, seu lapidis indicatam, quemadmodum ea alias vocaretur: *Paradisus, mansio apud Patrem, Sinus Abrabæ, Tabernaculum occultum &c.* hunc denique a manu divina, seu virtute rerum creatrice, suscipi, protegi, ac consistui in posterioribus Dei vocantis, atque Deum sic habiturum *Ducem*, præcundo viam monstrantem, quam recte & tuto sequatur, absque ullo aberrationis periculo, unde additur; *Facies mea non videbitur Tibi*, nam qui ducentis faciem videt, ducenti est oppositus, atque adeo malus est, cum ducens sit bonus, &c. Reliqua huius furfuris persequi non licet, nec prodest, cum piarum meditationum quidem sed accuratæ expositionis non mereantur locum. Neque ingenii imbecillitatem CAIETANI heic moramur, qui parabolam potius quam rem vere gestam sibi effinxit, cuius sensus sit: quod intelligibili quasi transitu *Dei coram intellectu Moysi*, ipse *Moses* stabit super rupem, h. e. erecta & fixa mente elevatus, sed tamen quasi abscondetur in cavitare rupis ab ipso Deo, dum universa capacitas mentis humanæ obfuscat in se ipsa & opprimendam se experitur a tam excellenti obiecto. Et paulo post: *Et dicta ac scripta hæc sunt in metaphora*, ut vel sic retineat populus, quod Deus est invisibilis, & quod posteriora duntaxat Dei vidit *Moyses*, & audiendo hæc, & non intelligendo, admirantur mysteria, & venerentur. Si cui post hæc allegorizantes quosdam Judæos audire animus sit, qui invenire hic PROPHETIAM de Resurrectione Messiae, exituri ex lapide, quo sepulchrum eius foret claudendum, adeat, velit, GALATINVM (q) & tribuat illis fidem, quantum velit. Delibare tamen mentem eorum paucis non abs re esse spero. Ita autem disputatur ibidem: *Rabbi Jodan dixit, & via colubri super petram; hic est etiam Rex Messias, qui transibit per petram,*

B 3

post-

(q) Petr. GALATINVS *Arcan. Cathol. Verit.* lib. VII. c. XV.



Postquam sepultus erit, nec videbitur, qua transierit: sicut dictum est Exod. XXXIII. Ecce est locus apud me, & stabis super petram. Cumque transibit gloria mea ponam te in foramine petrae. Eandem sententiam idem auctor ex Galesrazeia allegat lib. VIII, cap. XXI §. X.

Quamvis vero cum expositione hac iudaica belle iterum conspiret AUGUSTINVS, (r) & litteram alto supercilio despiciat, quia hæc repugnare ipsi videtur *divinae spiritualitati & invisibilitati*, quæ neque anteriores neque posteriores unquam admittat partes, ac omni denique *præsentia*, circumscriptionem in locum peculiarem plane respicientis, nihilque tandem relinquatur, quod obiici possit, quam *Eventus*, rei peractæ minime respondens; ita enim ille: *Hanc autem Prophetiam potius fuisse, quam locutus est Dominus ad Moysen, satis res ipsa indicat*, quandoquidem de petra vel caverna eius, & de manuum superimpositione, de visione posteriorum eius, nihil postea visibili opere subsecutum legitur. Ita priores difficultates iam e medio sublatas esse per expositionem nostram credimus, ut nihil restet, nisi ut postremum de *Eventu* deficiente, dubium tollamus. Hunc itaque in finem observare liceat: I) *Promissionem* hanc Dei esse *absolutam*, adeoque de eius impletione gentium esse dubitandum minime. II) *Plurium* Dei mandatorum executio in sacris frustra quaeritur, quam tamen a fidelibus V. T. factam certo esse, dubitare poterit facile nemo, qui loca cum cura inspexerit sequentia. Exod. XVII, 14. I. Reg. XIX, 16. Zach. VI, 10. 11. & eandem promissionis huius rationem esse, perspiciet fortasse quilibet. III) Neque tamen omni prorsus silentio impletionem promissi huius involvit Moses, si quidem Cap. XXXIII, se adscendisse in montem Sinai narrat, quemadmodum præceperat ipsi Jehovah, (nempe primo in hoc nostro Cap. v, 21. & deinde iterum Cap. XXXIII, 2.) Deinde descendisse Jehovaham in Nube, promissa nimirum in hoc Cap. v. 22. Transisse denique Jehovaham ante faciem suam & nomen Jehovahæ proclamasse, hac autem ratione promissa sua v. 19. notata venere præstitisse, quorum executio horum postremorum, uno scribentis actu illis additorum, simili præstatione dubitare nobis permittit nequaquam. Accedit III) quod post orationem transeuntis Dei absolutam, caput interram se inclinasse, & in absorta figura transeuntem adorasse, commemoret, postquam amota eius manu seu nube, posteriora eius conspexisset. Hinc recte v. 22. transtulerunt LXX. ἐγὼ παρελεύσομαι πρότερος σὲ τῆ δόξῃ μου, Ego trans-

iba

(r) Quæst. in Exod. CLIV.



ibo ante te *GLORIA MEA*. Hic vero transitus manifeste nos ducit ad rem corpoream & visibilem. Vnde etiam *PAVLLVS Burgensis*, quamvis *Gloriam Dei* de Essentia divinae cum *AVGVSTINO* explicaverit, heic tamen per omne *Bonum Dei*, *SPECIEM GLORIOSAM* ipsum Deum repræsentantem, *Additione III.* intellexit. Deinde V) attribuuntur *Gloriæ* divinæ partes *Visibiles* diversæ, nimirum *FACIES & POSTERIORA*, ut partes unius eiusdemque rei atque substantiæ corporeæ fulgentissimæ; ita tamen, ut tanta esset lucis splendorisque in partibus anterioribus, seu facie, exuberantia, ut absque vitæ periculo a mortali Mose conspici haud potuerit: *non poteris videre faciem meam &c.* Hinc etiam, ut iam supra dictum est, cum in hac sua gloria pertransiret Jehova, Mosen in Petræ cavernam se abscondisse, & foramini eius Deum super imposuisse manum, legimus relatam. At vero, longe temperatior visuique Mosis erat accommodatior conspectus a tergo, quem etiam illi concessum fuisse nemo forte nobis contradicet, cum ex nostra hypothese clarissimæ S. S. litteræ omnia convenient, doceantque simul, Deum de se heic non metaphorice loqui tantum, similitudine ab homine desumpta, ut cum aliis contendit, b. *Seb. SCHMIDIVS*, sed reapse *Figura corporea*, ad humanam proxime accedente, heic adfuisse sibi persuaderi patiatur quisque.

## §. XI.

Quamvis vero plura adhuc supersint argumenta, quæ e textus visceribus depromi queant, brevitatis tamen studio unum tantummodo persequi liceat, & e *Num. XII, 8.* depromptum, ubi Deus de Mose ita: *בְּהָאֵל לֹא יִרְאתֶם כִּי אֲדַבְרֶכֶם וּמְרָאָה וְלֹא בַחֲרִית וְתַמְנַת יְהוָה יִבִּישׁ וּמְרֹעַ לֹא יִרְאתֶם כִּי אֲדַבְרֶכֶם וּמְרָאָה וְלֹא בַחֲרִית וְתַמְנַת יְהוָה יִבִּישׁ וּמְרֹעַ לֹא יִרְאתֶם כִּי אֲדַבְרֶכֶם וּמְרָאָה וְלֹא בַחֲרִית וְתַמְנַת יְהוָה יִבִּישׁ וּמְרֹעַ* Hæc vulgatus *Ore enim ad os loquor ei ad patulam, & non per ænigmata & figuram Dominum videt. Quare ergo non timuistis detrabere servo meo Moyse?* Ubi ante omnia observandum esse arbitror, quod cum hæc verba: *בְּהָאֵל לֹא יִרְאתֶם כִּי אֲדַבְרֶכֶם וּמְרָאָה וְלֹא בַחֲרִית וְתַמְנַת יְהוָה יִבִּישׁ וּמְרֹעַ לֹא יִרְאתֶם כִּי אֲדַבְרֶכֶם וּמְרָאָה וְלֹא בַחֲרִית וְתַמְנַת יְהוָה יִבִּישׁ וּמְרֹעַ* coniunxerit aliam & minus aptam interpungendi rationem, accentuationemque, quam alii magnifacere solent, secutus sit, quam in nostris Codd. receptis obviam videre licet. Est enim super *בַחֲרִית* accentus distinctivus, vocem eam a sepluribus separans, neque legisse videtur *וְתַמְנַת* sed potius *וְתַמְנַת* in figuram Mosen vidisse unquam, cum tamen gloriosissimæ suæ imaginis conspectum a tergo, signanter ipsi in Textu nostro promiserit. *Jo.* equidem

CAME-



CAMERO medelam hisee adferre studet, scribens: **וּמְרָאָה וְלִי** & *faciem* (nam **מְרָאָה**, inquit, *vultum & faciem* significat) *non vero in ænigmate, & similitudinem contemplabitur.* Verum enim vero, notandum est, quod *faciem* Dei neque viderit, neque videre potuerit Moses, ut sæpius iam dictum est: *Dominum ipsum cognovisse facie ad faciem, Deut. XXXIII, 10. & locutum cum ipso facie ad faciem Exod. XXXIII, 11.* faciem tamen seu similitudinem eius vidisse Mosen non tantum legitur nunquam, sed potius expressis verbis negatur. Simili ratione *Deum cum Israelitis e medio ignis, facie ad faciem*, colloquutum fuisse Deut. V, 4. quibus tamen interior Dei conspectus tantum non omnis prorsus denegabatur. Deut. III, 12. 15. Convenientiorem adeo rei hanc putarem esse versionem: *Ore ad os locutus sum ei, & non per visionem, neque per ænigmata; & similitudinem Domini contemplatus est. Quare ergo non timuistis obloqui contra sermonem meum, contra Mosen?* Nemo ut spero, significationem verbi **יָבִישׁ** *contemplabitur*, futuri tempus alias denotans, in præteritum commutatam esse, indicabitur, quemadmodum futurum **אָרְבַּר** pro præterito quoque sumatur, necesse est, quia iam locutus erat Deus Mose *ore ad os*, seu quod idem est, *facie ad faciem* v. 11. Deinde vocem **מְרָאָה** pro **בְּמְרָאָה** positam esse conicio, per ellipsin præfixi **בְּ**, ex sequente **בְּחִירָתָהּ** hic facile subintelligendi. Adverbium denique negandi **לֹא** positum inter **וּמְרָאָה** & **בְּחִירָתָהּ**, utramque illam vocem adficere credo, & antecedentem & consequentem, eodem modo, quo *Ps. III, 5.* dicitur: **וְאַל תִּחַטְּאוּ** *Commoveamini scilicet ira, & ne peccetis.* Ὁργιζέσθε, καὶ μὴ ἀμαρτάνετε *Ephes. III, 16.* id est ac si dicat: quod nec ira commoveri, nec sic peccare debeat. Per **תַּמְנַת יְהוָה** tandem *similitudinem Jhovæ*, intelligendam esse censeo: *Gloriosissimum hoc præsentia Jhovæ Symbolum*, cuius a tergo promittit conspectum Deus Mose ut futurum in *deserto Sinai*, iuxta id quod narratur in nostris commentibus EXODI, atque hunc Gloriæ suæ intuitum promissum se ipsi concessisse testatur in hoc *Num.* loco, quando populus israeliticus castrametatus fuerat in *Hazeroth*. Provocare enim Deum ad rem præteritam Aarone & Mirjam satis superque notam ex eo adparet, quoniam sequens statim reprehensio tantam non haberet vim: *Quare ergo non timuistis obloqui contra servum meum, contra Mosen?* Et procul dubio LXX. perspexerunt isthoc, cum verba **וּתַמְנַת יְהוָה יָבִישׁ** reddiderint, quoad sensum quidem satis commode: *Καὶ τὴν δόξαν κυρίου εἶδε & gloriam Domini conspexit. Visibile autem Symbolum Jhovæ hanc dicitur*

citur



citur ob causam (conf. *Pf.* XVII, 15.) non ut Deum infinitum & invisibilem exacte referat, eiusmodi enim perfectissimi spiritus effigies dari potest prorsus nulla, *Jes.* XL, 18. sed quia ex fulgidissima illa *figura* divinæ Majestatis aliquo saltem modo eminentia, præsentiaque coniectura adsequi poterat, ut effectu cognoscatur causa, & quælibet etiam herba præsentem referat suum creatorem. Mirari itaque vix possum satis, *Joh. CLERICVM*, per Gloriam Jehovæ, visibile quidem præsentia eius symbolum intelligentem; attamen huius Numerorum loci versionem *Vulgatam* laudantem, & Græcam τῶν LXX Translationem δόξαν κρείσσειν respicientem propterea, quod neque verba, neque sensum exprimat, & coacta nimis sibi videatur explicatio: *Et similitudinem Jehovæ videt vel vidit*; cum similitudinem Dei vidisse nullo sensu dici queat. Cum vero pergit: *non vidit etiam similitudinem ullam naturæ divinæ*, ut ipse testatur *Deut.* III, 15. non acu rem tetigisse videtur, quia ibidem non omnis similitudo negatur visibilis, neque eius etiam secreta a tergo visio Mosis, interdicitur; sed *similitudinis Jehovæ* publicam & totius populi visionem in Legis promulgatione Sinaiticâ factam, intelligi heic sentiat.

## §. XII.

Fallor itaque an omne punctum tulerit *Cl. Ludov. Georg. TREVI-RANVS*, (s) posteriora quidem Dei, & illustrissima post eius transitum divinitatis signa, & infallibilia indicia Mosen vidisse scribens, sed interpretationem huius facti non minus ac alii paulo longius arcessitam, nemo negaverit fortasse, cui verba eius inspicere lubet, quæ sic se habent: *Quid hoc significaverit, interpretem habemus ipsum Deum Dominum Gloriæ, qui, cum in diebus carnis suæ coram Mose, i. e. eius cathedra, in infima humiliatione constitutus, & sedentibus in illa senioribus, divina manu tectis ignotus, interrogaretur: num esset Christus Filius Dei benedicti? intrepide adfirmando respondit, inquiens: Tu dixisti: quin etiam dico vobis AB HOC TEMPORE videbitis filium hominis sedentem ad dextram potentia Dei & venientem in nubibus cæli Matth. XXVI, 64. Quid hoc est*

(s) in *Biblioth. Bremensi* Cl. III. Fasc. I. p. 9. p. 16, sqq.







tum *Naturæ*, tum *Gratiæ*, ex quibus a nobis voluit cognosci. Rom. I, 20. Act. XIV, 19. Joh. XVII, 4. 6. Vnde cognitio Dei ab effectibus, vocari vulgo, a posteriori cognitio, consuevit. Ita enim GROTIUS: *Vultus & partes priores significant causas ac rationes secundum quas Deus beneficia sua dispensat; Tergum vero beneficia ipsa.* Hæc, inquit, sentimus, illas magna ex parte nos nunc ignoramus. Rom. XI, 33. sqq. multa pauciora autem cognoverant veteres Rom. XVI, 25. 26. Mitterem hæc, nisi alia occurreret sententia probabilior in re incerta, quæ tamen paucis quibusdam exceptis magis, quam ceteræ veri quid habuisse fuit visa. Contendunt enim *Faciem Gloriæ Dei*, tum in *Mosis Oratione*, tum in divino responso, mystice attributa Dei significare, præsertimque ea, quæ absoluta vocantur, & vitæ eius necessaria, *Independentiam* nimirum, *æternitatem*, *immutabilitatem*, *spiritualitatem*, *omniscientiam*, *libertatem*, *omnipotentiam*, *beatitudinem*, *simplicitatem* & reliqua, quia a priori, eoque modo ac ratione, omni qua Deo insunt infinito, idea clara & proportionata, a creaturis finitis cognosci possunt nunquam: *Posteriora vero attributa* ut vocant *relativa* & vitæ liberæ; *Gratiam* videlicet & *Iustitiam*, ideo voce proclamanda, coram Mose quando posteriora visui eius simul forent obiicienda, & per quæ in Christo manifestata, Deus a nobis cognoscitur. At si allegorias hæc divinas, ipsamque Dei mentem rebus his gestis repræsentatam esse velint, ne habent repugnantem. Allegorias enim has & similes alias de *rupe Horebi Christo* & de gloriæ cœlestis fruitione illis concedenda, qui immota fide in rupe hæc spirituali consistunt, manumque divina proteguntur, atque se iuxta verbum divinum vitamque suam componunt &c. excogitatis humanis accenseo, quæ pie quidem adduci possunt, quippe quæ fidei analogiæ conveniunt, & aliquam cum rebus narratis convenientiam habent, interim tamen, an hoc in loco a Spiritu S. intentæ sint, merito dubitatur. Quodsi enim hanc sententiam admittere velimus, tunc sequeretur, *Mosen*, attributorum illorum absolutorum, prout Deo infinito insunt, cognitionem a priori proportionatam & adæquatam petiisse, quod tamen verosimile non est, quia hac etiam in parte symboli cum re signata deest convenientia, ad eoque simile non extendendum ultra suum tertium. Adfirmari enim porro de *Symbolo* videtur v. 20. quod facie tenus in hac mortalitate tantum nequeat, sed quod in altera vita totum sit



fit conspiciendum a beatis; quod tamen attributis Dei absolutis non convenit, quippe quæ a finita creatura plene & prout sese habent a parte Dei cognosci posse nunquam in S. S. adseritur. Multo minus allegoriæ huius satis firmum ponitur in *Nominis Jehovahæ* promissa proclamatione & executioni data, per proclamationem *Gratiæ & Iustitiæ* Dei, de qua *Cap. seq.* differitur, fundamentum; ac si hoc nomen Jehovahæ posteriora *Dei mystica* declararet; Cum proclamatio in nomine Jehovahæ ore concepto, oppositio quædam videatur, ad gloriam eius quoad posteriora conspiciendam, ita ut talis eveniat sensus: non videbis gloriam meam, nisi quoad posteriora, sed proclamabo potius nomen Jehovahæ, ut sic viva magis voce, quam visione de favore meo in populum te erudiam, atque sic scopo & desiderio tuo facturus satis.

## §. XIII.

Quemadmodum vero admirandam Dei omnipotentis *συγκρασίαν* hac in re omnino pie venerandam esse, nemo, nisi omnis pietatis expers negaverit; ita quoque rei huius in Sinai Deum inter & Mosen gestæ descriptionem multa eaque notatu continere dignissima in propatulo est. Sequitur enim ex ea *Deum* in populo Israelitico vere quosdam habuisse, qui misericordiæ divinæ specialissimæ fuerunt obiecti, & cum Mose Gloriæ cœlestis facti sunt participes, quandoquidem per hanc Posteriorum Mose concessam visionem, signum aliquod plenissimæ Dei cum populo reconciliationis a Mose legimus expetitur & acceptum. Deinde omnes vitæ sanctimoniam dediti ex parte prophetant atque Deum aliquo modo cognoscunt, sicut in symbolo Deum adparentem Moses etiam ex parte fuerat contemplatus, atque proinde etiam in perfectionibus & viis eius nonnisi cognovit imperfecte, quod Paulus, ad hunc fortasse locum respiciens egregie docet: *1. Cor. XIII, 9. 12. 1. Job. III, 2.* Ex quibus tandem consequitur, nos in hac mortali vita debere esse contentos, eo cognitionis & gratiæ divinæ modulo, quem suis hic largiri decrevit Deus, nec videre aut nimia curiositate ea scire velle, quæ ad immortalitatem Numen sapientissimum reservavit futuram. Hanc interim fervide atque constanter desiderantes, faciem quoque olim Jehovahæ intuebimur, & sic integra eius imagine satiabimur, perfectaque eius cogni-



gnitione & spiritali similitudine simul in æternum fruemur, ubi dici possumus vere beati. Hinc denique non miremur, Deum sæpissime a nobis non videri nec animadverti in Natura aut Gratia operantem, nisi iam tranfierit & operatus sit, atque providentiæ suæ testimonia per varias nobisque non raro occultas vias perduxerit ad exoptatissimum finem. Job. XLII, 5.

## §. XV.

Tandem ad TE redeo, VIR PLVRIMVM REVERENDE, & si paulo ferius id TIBI videatur, destinato consilio factum fuisse cognosces. Non equidem iustum, quamvis aliis in more positum video, in hoc litterarum publico nomine editarum genere, vel in amicorum laudes, ab initio excurrere, vel observantiam prolixioribus, quam par & æquum est, demonstrare verbis. Id unicum TE per gratissimam sodalitiæ sanctissime culti recordationem, petiisse sufficiat, ne moram paulo diuturniorem, qua usi fuimus, feras moleste. Nec enim societatis, cuius impulsu hæc scripsi, nec mea culpa, sed pluribus aliis negotiis, impeditum est hoc humanitatis nostræ officium, ita ut hanc procrastinationem non nobis esse adscribendam omnes sciant, quibus hæc nosse interest. Impense autem gavisus sum, quod Ordo hic clarissimus, hanc TIBI gratulandi spartam extra ordinem, demandaverit mihi, quem in locum TVVM surrogare non displicuerit. Eo lubenti itaque hoc in me suscepi animo, quo plura in me extent TVA amicitia hæud fucata documenta, & consuetudinis TECVM inita me pœniteat nunquam. Hac enim ætate videndum esse omnino, cui fidamus, vel me tacente ipse non ignoras, ne experientia edocti VENVSINI repetere cogamur verba:

*Absentem qui rodit amicum.*

*Hic niger est, hunc Tu Romane caveto.*

De opella tandem mea, extemporali vere industria litteris consignata, benevole sentias, neque cum infami Grammaticorum natione



(illustri Bynckershoekii Jcti Batavi est formula) ab omni quippe humanitate aliena, id non rectum putaveris, quod non fuerit TVVM. Accipias potius hanc dissertatiunculam ut fidei nostræ intermeratæ documentum & pignus certissimum, persuadeasque TIBI velim, nos nullo non tempore pro rebus TVIS conatibusque sacris deprecatorios esse Numen propitium, ut benedictione atque auxilio eius fretus, sacra pariter & litterata civitas per TE, TVVMque studium, plura indies capiat incrementa. Quæris forsan, quæ bene TIBI cupientium sint nomina, en! accipe:

M. Ephraim Gotthelf Kœchly, Past. Loschwitz & Wachowitz in agro Dresdens.

M. Christoph. Kretschmarus, Schol. vrbis novæ ad Dresdam Rector.

M. Theodor. Urban. Seyffertus, Past. Rhesfeld.

M. Christ. Kästnerus, Diac. Afran. Misnæ.

Jo. Jacob. Grævius, Past. apud Prætoriam cohortem equestrem Warsov.

M. Christoph. Gottlob Grundigius, Past. Hermsdorff.

Carol. Sigism. Machnitzky, apud Petropolitanos scholæ Petrinæ Rector.


Immanuel Benjamin Kempe, Diac. Prato-Vallensis nuper constitutus.

M. Christ. Fridericus Müller, Dresd.

Adam Daniel Richterus, Chemnicens. Misn.

M. Fridericus Gottlob Peckius, Kesselsdorff. Misn.

M. Christianus Gotthold Dietericus, Lunav, Misn.



*Coll. diss. A. 116, misc. 38*